

tium in vitam, confirmatio pugnantium, eucharistia vires post pugnam resurgentium, poenitentia de lapsu et vulneribus resurgentium, extrema unctio ex hac vita exeuntium, ordo gubernantium et annonam ministrantium, matrimonium novos milites introducentium.

Tertio, quia præparant animum ad septem virtutes principales, tres theologicas et quatuor cardinales. Baptismus ad fidem, confirmatio ad spem, eucharistia ad charitatem, poenitentia ad iustitiam, extrema unctio ad fortitudinem et perseverantiam, ordo ad prudentiam, matrimonium ad temperantiam.

V. Christus adhibuit operam discipulorum suorum, qui panes distribuerent et apponerent, ut in eorum etiam manibus panis multiplicaretur. Sic etiam instituit sacramenta Dominus, ut hominum ministerio uteretur in dispensatione eorum velut instrumentali causa, et quidem ita ut quis alteri, non sibi ea administret. Primo, ut bonitatis suæ propensionem erga homines ostenderet, quibus altissimam hanc potestatem suam communicavit, ut una cum ipso, velut instrumentum cum principali causa seu artifice, velut penna cum scriptore, penicillus cum pictore in cordibus humanis possint pingere gratiam, quæ est communicatio quædam divinitatis.

Secundo, ut simul homines haberent per hoc occasionem novam, bene de aliis merendi; quod indicatum cum in altero illo convivio, Matth. XIV. discipulis petentibus, ut dimitterent turbam ad coemendos panes respondit: *Non habent necesse ire, date illis vos manducare.* Ad eundem modum potuisset Deus singulis hominibus conferre opes sufficientes, sed voluit aliis dare parum, aliis multum, ut divites haberent occasionem bene merendi de pauperibus, et pauperes orandi pro divitibus.

Tertio, ut iniretur ratio, qua mutuo amore inter se arctissime colligarentur homines, cum intelligunt tantum bonum, qualis est gratia divina, sibi posse communicari per homines, sacramentorum ministros; gratiam confirmationis et ordinis per episcopos; gratiam poenitentiae, eucharistiae, extremæ unctionis per presbyteros; gratiam baptismi per quemcumque in necessitate. Hinc enim debitores illorum se agnoscunt, reverentur et amant illos, timentque offendere, quia pro patribus suis agnoscere eos debent non minus quam carnales parentes. Unde apostolus ait: *Si decem millia pædagogorum habeatis, sed non multos patres; nam in Christo Jesu ego vos genui.* 1. Corinth. IV.

Quarto, ut hinc colligeremus virtutum et efficaciam sacramentorum tantam esse, ut etiam a malis ministris impedi non queat, modo debite ea administrent. Cum enim sciverit Do-

minus multos fore improbos dispensatores mysteriorum nequaquam illis contulisset potestatem istam, si ab eorum vita penderet sacramentorum virtus. Quod si per angelos aut viros tantum sanctos dispensarentur, eorum potius sanctitati, quam efficaciam sacramentorum adscriberetur sanctificatio. Ut ergo peritus scriptor quæcumque arripit pennam, et bene nihilominus scribit, ut ipsius ars, non calamus commendetur: ita voluit hic agere Deus. Vocantur sacramenta, sigilla et signacula, jam vero: «Duo annuli, inquit Sanct. Gregor. Nazianz. orat. in s. baptism. alter aureus, alter ferreus, si uterque incisam habeat eandem imaginem et regia insignia, æque unus atque alter ea exprimet impressus;» sic eadem sanctificatio confertur per sacramentum ab aureo sacerdote, qui insigni splendet sanctitate, administratum; et a ferreo seu reprobo.

Quinto, ut hinc moneremur nos sacerdotes, et quicumque administrant aliquod sacramentum, majore studio quam alii, puritatem conscientiae tueri et servare, præsertim in ipsa administratione; sancta enim sancte sunt tractanda et impollutis manibus. Unde S. Dionysius de eccl. hierarch. c. 1. ait: «Malis symbola (sacramenta intelligit) ne contingere quidem permissum esse:» et S. Greg. II. p. pastor. c. II. «Necesse est, inquit, ut esse munda studeat manus, quæ diluere aliorum sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinat, si sordida in semet lutum tenet. Hinc namque per prophetam Isaiam (c. LII.) dicitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*» Sic Gregor. Magna igitur nobis, o sacerdotes, imposita est necessitas vivendi religiose, sobrie et pure, ne temere Deo appropinquant, ab eo percipiamur.

VI. Christus septem illis panibus duplicem contulit virtutem; scilicet ut famem esurientibus pellerent, et ut vires fatigatis et exhaustis restaurarent (utroque enim indigebat turba illa): sic quoque sacramentis duplicem contulit virtutem. Primo, pellendi peccata et ex parte reliquias eorum seu pœnas illis debitas: secundo, inferendi gratiam in animam, necnon conservandi et augendi ad certos et determinatos actus. (Quod ut suavius crederetur, initio nascentis Ecclesiae, in usu aut institutione sacramentorum evenerunt aliqua signa prodigiosa, ad ostendendos hos effectus in cordibus fidelium.) Unde sicut Elisæus prodigiose multiplicavit viduæ oleum, quod in vase quodam habebat, ut tamdiu fuisset, quoad vasa vacua superessent: quo nimirum ipsa ex eo debita creditoribus solveret, de reliquo cum filiis suis viveret (IV. Reg. IV.) ita etiam Christus sacramenta nobis multiplicavit, ut ex eis primo,

peccatorum nostrorum debita dilueremus: deinde, vitam gratiæ in nobis foveremus. Itaque nobis videndum restat: primo, ut ne vasa desint huic oleo recipiendo, ne alioquin sistat. Non desinet manere in Ecclesia gratiæ illius oleum, quod tribuunt sacramenta; quamdiu fuerint homines, qui ad eam recipendam, ut par est, se disponant. Sed heu quam pauca nunc vasa vacua a terrenis curis et sæcularibus negotiis? Quam exiguus sacramentorum usus? Quid mirum foret, si oleum hoc staret? Stetit sane, quando ante annos centum hæresis oriebatur: nullis enim fere tunc sacramentorum usus erat, sed contemptus: unde sacramenta pleraque sustulit hæresis.

Deinde, quoniam tam sanctæ et pretiosæ res sunt sacramenta, discamus ea summa cum reverentia et honore pertractare, non in manibus tantum, sed in ore quoque. Quæ vero illa insania est, execrari sacramenta, per quæ salutem consequi oportet? Annon hoc est incidere canalem, per quem aqua hauriri et sitis extingui debet? Annon hoc est destruere sibimet pontem, per quem quis ambulare et fugere hostes debet? Annon hoc est laqueum collo suo injicere, ne possit respirare? Annon hoc est claudere sibimet januas cæli? Sane quoties nomen sacramenti audimus, cadere in genua debemus, et Deo immortales gratias agere pro hoc cælesti dono. Unde et nos jure caput aperimus, cum hoc nomen audimus.

Ad extremum igitur Deo gratias agamus pro his panibus nobis in Ecclesia relictis, et rogemus eum, ut spiritualem famem et desiderium illorum dare nobis velit, quo ferventius et dignius, quam hucusque fecimus, eos percipiamus.

CONCIO VIII.

QUA RATIONE PARANDÆ ET ACQUIRENDÆ SINT VIRTUTES MORALES IN VOLUNTATE SITE.

I. Mendicando per orationem. — II. Emptione seu carnis depressione. — III. Labore seu conatu voluntatis. — IV. Furto seu imitatione aliorum.

THEMA.

Unde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Marci VIII.

Postquam prima vice Christus pavit turbas quinque panibus, et propterea turbæ eum sequebantur ac quærebant (Joan. VI.) dicebat illis: *Queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturari estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Occupatur nunc fere totus mundus et cum illo nos in quærendo panem corporali

seu colligenda messe; de pane vero spirituali pauci sunt solliciti. Quare Christus merito etiam dicit nobis: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Cibus et panis iste virtutes sunt, quibus anima nostra pascitur et vivit vita gratiæ; de hoc enim cibo dixit Dominus: *Beati qui esuriunt iustitiam,* id est, qui virtutem et sanctitatem avidissime concupiscunt, ut ait Chromatius: sine pane isto deficiamus in via, quia non est alia via veniendi ad gloriam, nisi per virtutem. Nisi vero virtutum habitibus instructi simus, cito desinemus bene operari, ob earum difficultatem. Sed unde nobis iste panis hic in solitudine et exilio? In paradiso certe facile parassetur istum panem, quia tunc virtutes homini fuissent maxime connaturales: sed hic in solitudine, in exilio difficulter comparatur; quia naturæ corruptæ non sapit virtus. Quam multo tempore laborant aliqui, ut casti sint; alii ut ebrietatem evincant et sobrii fiant? Alii ut iracundiam suam mactent et patientes ac mansueti fiant? Alii ut blasphemias, mendacia, detractiones caveant et linguæ frænum imponant? Unde igitur ememus panes? Unde nobis parabimus virtutum habitus, quibus prompte, expedite et cum voluptate operemur bona? Videamus.

I. Paratur panis mendicando. Mendica etiam tu panem virtutum a Deo et dicitur: *Panem nostrum quotidianum (spirituale) da nobis hodie;* qui a: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre lumine,* inquit Jacobus, cap. 1. Hac ratione etiam turbæ hodiernæ pararunt sibi panem; per triduum enim sequebantur et sustinebant Christum famelici; seu, ut Matthæus ait: *Perseverabant cum eo donec nimirum Christus eorum miseretur et cibaret illos, sequere igitur et tu, sed instanter et perseveranter orando, sicut mulier illa Chananæa velut catellus sequens Christum, donec panis bolum ab eo acciperet.* Hoc enim est quod ipse Dominus nos facere docuit, Luc. XI. in parabola amici, qui perseveravit pulsans petere panes ab amico: *Si vos cum sitis mali, inquit, nostris bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* Spiritum bonum intelligit omne donum cæleste, quod hominem fecit bonum. Lacedæmoniorum filii, panem a parentibus non accipiebant, nisi quem sagittis deiecerant. Cupis etiam ut panem castitatis, sobrietatis, patientiæ, etc? Pete illum cogita orationis ferventis, et perseverantis, ut deus de cælo ubi penus est inexhausta omnium bonorum; sine hac enim dona illa difficulter obtinebis, ut agnovi Salomon, Sap. VIII. *Ut scivi, inquit, quoniam aliter non possem esse continens,*

msi Deus det, adii Dominum et deprecatus sum illum. Si ergo continentia oratione obtinenda est, cur non et alia virtutes? Dices forte: Si per orationem virtutes acquiruntur, non ergo exercitatione et nostra cooperatione opus est. Non sequitur, quia sicut frustra orabis Deum ut fias doctor, nisi manum libris admoveas et in eis diligenter studeas; ita frustra orabis Deum pro virtute si non coneris eam exercere: Deus enim dicitur virtutem dare, vel cum minuit tibi tentationes concupiscentiae, ne tantam creent difficultatem voluntati operaturae, vel cum adjuvat et confortat voluntatem ut difficultates superare possit. Propterea idem Salomon, Sap. IX. dixit: *Mitte illam (sapientiam) de caelis sanctis tuis et a sede magnitudinis tuae, ut tecum sit, et tecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.* Hinc veteres dixerunt: *Cum Minerva quoque manum move.* Proverbium ortum a mulieribus lanificium exercentibus, favente atque invocata Minerva, quae tamen nihilo segnius interim operi insistunt. Alii ab agasone natum volunt, cujus asinus cum luto infixus haereret, otiosus Herculem implorabat; cui proinde dictum, ut et ipse manum admoveret. Ergo qui virtutum pulchra artificia texere, qui asinum depravatam carnis e luto extrahere vult, Dei quidem opem impleret, sed et ipse suam conferat.

II. Emptione; hoc enim modo comparari posse virtutem indicat Dominus in priore panum miraculo, cum ad Philippum dixit: *Unde ememus panes ut manducent hi?* Joan. VI. Sed quo pretio comparabimus virtutem? Mihi videtur id indicasse Satanas de Job ad Deum loquens: *Pellem pro pelle et cuncta quae habet homo, dabit pro anima sua,* Job II. q. d. si vult homo acquirere et induere pellem gratiae et virtutum, non gravate patietur sibi eripi temporalia, etiam ipsam pellem: quod sane fecit Job, qui abstracta sibi pelle carnis, induit pellem patientiae et gratiae longe praestantiorum: ad instar serpentis, qui veterem exiit et novam induit. Igitur si virtutis alicujus pellem, imo vestem ornatissimam induere volumus, exuamus pellem veterem, pellem carnis, pellem concupiscentiae, juxta id apost. ad Coloss. III. *Expoliantes nos veterem hominem cum actibus suis et induamus novum.* Hoc facies primo, si humiliter et deprimas in te concupiscentiam, hostem omnis virtutis. Ut enim thus per incisionem corticis illius arbusti obtinetur et colligitur: ita etiam virtutes, per mortificationem carnis acquiruntur. Sic pueri, dum vapulant, emendantur et virtutes addiscunt: sic canes ovium invasores, si alligati ad arietem ab eodem acriter feriantur, dediscunt nocere ovibus. Hoc ergo et caro faceret, si spiritus ei alligatus saepe in eam saeviret et animad-

verteret verberibus. Hinc ss. viri virtutes tantas assecuti sunt, quia in hostem earum carnem suam, tam rigidi et severi fuerunt. S. Benedictus tentatus a libidine, corpus nudum in spinis volutavit, ut hostilem carnem vinceret et continentiam servaret: S. Franciscus fratrem suum asinum, ut vocabat, corpus, si forte lautiori pabulo refectum erat, flagellis atterebat, ut sobrietatem retineret, dicendo: *Bene comedisti, bene salta.* Sed frustra haec ego hic recensere videor. Utinam saltem concupiscentiae nostrae aliquid subtraheremus, veluti somnum longiorem; ut mane surgentes ad templum debito tempore veniremus; jejunaremus saltem cum praecipuum est; aut cibi superfluitatem potusque caveremus. Ut enim accipitres cicurantur et ad praedam erudiuntur somni prohibitione, equi ad saltum et cursum, pabuli subtractione: ita fieret ut caro nobis non obsisteret, sed facile obediret ad opera virtutum, si vigiliis, si jejuniis eam attereremus. Deinde, hoc etiam facies, si quinque sensus tuos mortifices et frenes ne passim post desideria sua abeant, teque a virtute abducant. In cujus rei figuram Josue, c. X. quinque reges in fideles suspendit in stipitibus; quia prohibuerant ei ingressum ad terram sanctam. Reges isti, sensus nostri sunt, qui nos, a via virtutis, adeoque caeli abducunt. Crucifigamus igitur illos: oculos, contemplando non vanam pulchritudinem, sed potius inferni horrorem: aures, non attendendo ad sonitum fistulae, sed ad tubam illam terribilem: *Surgite mortui, venite ad iudicium:* nares, non applicando ad flores et vestium odores, sed ad inferni et mortuorum hominum foetorem: linguam, degustando, non pretiosa vina et cupidias, sed fel et acetum Christi, aut fel draconum, vinum damnatorum: tactum, non applicando ad amatorios amplexus, sed ad ignem inferni inextinguibilem. Si hanc praxin sedulo observaremus, facilem nobis brevi possemus parare viam ad virtutem. Denique, hoc ipsum facies, si peccandi occasiones devitaveris; harum enim consecratione fiet inclinatus ad vitia et aversus a virtutibus, nec oratio tua facile audietur, licet virtutem a Deo petas. Desideras ergo humilitatem? Ne socies te superbis, quia: *Qui communicaverit superbo, induet superbiam,* Eccles. XIII. Desideras castitatem? Fuge conversationem libidinosorum, aut feminarum forma praestantium, loca in quibus tibi occurrere possunt impudica spectacula, libros obscenos; exemplo Antiochi regis Asiae hujus nominis textii, qui Ephesi forma Deo dicatae feminae illectus, et ex altera parte advertens, quantum sibi dedecus allaturus esset incestuosus congressus, Epheso discessit, nec unquam eo redire voluit.

ne tandem libidinis occasione caperetur et foedaretur, Chav. l. I. c. IV. de praef. prud. Desideras sobrietatem? Ne frequenta symposia, compositiones. otiosorum consortia, et quidem tanto cautius, quanto saepius expertus es te ejusmodi occasionibus fuisse deceptum et irretitum.

III. Labore et industria, id est, conatu voluntatis ad bene operandum et exercendas virtutes. Inferenda tibi vis aliqua, admovenda ad aratrum manus, ut virtutem tibi acquiras. Ita populus in hodierno evangelio, triduo itinere sustinens Christum eumque comitans, meruit panem. Ad haec panes offerebat pauculos Christo, ut plures et meliores acciperet, quemadmodum et accepit. Similiter ergo offer et adfer tu conatum tuum, extende vires tuas ad virtutem amplectendam; et Deus quod deest tibi, implebit, addetque. Poterat sane e nihilo vel ex aliis corporibus panes omnes facere Dominus, sed voluit ex praesentibus et oblati aliquot panibus, ut disceres faciendum tibi esse quod in te est et conatum operis adhibendum ad virtutem acquirendam. Agricola paucula semina in terram jactat, et multam frugem colligit: discipuli paucos panes in manus Christi afferunt, et plurimos inde accipiunt. Semen ubi non jacitur, nil metitur: ita nisi incipias vitiose agere, vitia deserere, virtutem non metes. Audi Anselmum, l. de beatitud. c. CLIII. « Ut si is, qui citharista esse debuerit, si citharam tangere noluerit, qualis citharcedus erit? Taliter licet quis habeat scientiam bene vivendi et voluntatem, nequaquam bonus erit nisi etiam boni operis usum tenuerit. » Similiter Ambrosius, l. 1. de offic. ait: « Qui disciplinam bellicam vult assequi, quotidie exercetur armis et tanquam in procinctu positus praeludit praelium. » Quid? Etiam elephas hoc advertit Romae, qui, ut refert Pierius, l. II. ad saltandum instructus, cum ingenio tardior esset, noctu ad lunam se exercuit saltando. Et unde multis robor corporis? Nonne ex assiduo et duro labore? Hercules ad laborum patientiam quotidianis exercitationibus se confirmabat, sentes omnes qui pullularent eo in loco vellere ac eradere solitus, Pausan. l. XXVI. igitur si cupis humilitatem, exerce te in operibus humilitatis: *Exerce tempus ad pietatem,* ait apost. 1. Tim. IV. Multi concipiunt virtutum proposita, mox tamen in primo actu, difficultate terrentur, aut impossibile sibi existimant virtutem assequi, vitium contrarium deserere uti ebrietatem, consuetudinem jurandi et execrandi; qui si modo conarentur semel, iterum, tertio, semper faciliorem experirentur virtutis tramitem. Vellent instar cati libenter vesci piscibus, sed immittere in aquam pedes nolunt ad eos extrahendos. Certe de his dici po-

test, quod de se suisque lamentatur rex Ezechias obsessus ab Assyriis: *Dies tribulationis et correptionis et blasphemiae dies haec: quia venerunt filii usque ad partum, virtus non est pariendi,* Isa. XXXVII. Plurimi enim concipiunt desideria virtutum, sed parere nunquam volunt difficultate virtutis terri, dum sibi quasi impossibilem imaginantur. Quam multi dicunt: Non possum remittere hanc injuriam, non possum mihi temperare ne inebrier, non possum coercere linguam, ne blasphemem: *O insensati, quis vos fascinavit non obedire veritati!* Exclamat contra Galatas apostolus. Phantasia et fascinatio est ista: Non possum hoc vitium superare, hanc virtutem exercere. Conare, vires adhibe, vim infer tibi ipsi; quia Dominus dixit: *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Quid tu non facies corporis vel rei familiaris causa? Ut sanitatem recuperes et corpus humoribus malis evacues, servas dietam rigidissimam tibi praescriptam, pecuniis nullis parcis. Ut idem recrees deliciis, quid non excogitas? Ut rem familiarem amplifices, nulli labori parcis, nullum periculum fugis. At non est opus tanto conatu ad virtutes tibi parandas, praclarissima animi ornamenta, et tamen ad haec paranda vix pedem vis movere.

IV. Furto et rapina. Potes enim adipisci virtutem, inspiciendo aliorum virtutes; sic eas quodammodo suffuraberis ac tuas facies. Non est culpandum sed laudabile: nec illi noxium hoc furtum, sed salutare (verbi gratia) furari ex piis libris, concionibus bonis, aliorum exemplis velut apes de floribus mel virtutum et inferre alveolo cordis tui. Quemadmodum enim panes illi septem haud dubie uni vel pluribus ablatis sunt, cum Christo exhibiti, nullo tamen eorum quibus auferebantur damno, sed potius commodo, cum plura receperint: ita et virtutem alter alteri auferre utriusque commodo potest, inspiciendo et imitando alterius exemplum. Exemplum bonum facita quaedam exhortatio est et stimulatio, quid agi vel omitti debeat: ita ut qui non imitatur, vim quamdam sustineat, tandemque longo usu et consuetudine succumbat, qui antea repugnabat. Admodum protervus et vitiosus erat adolescens ille, qui Lycurgo principi suo Laconum legislatori, sapientissimo oculum eruebat. Et tamen postquam Lycurgus nobilissimo utens vindictae genere, illum sibi dari committique postulasset ad bonam revocandum frugem, tantum valuit verbis et moribus domesticis, ut paulo post nobilissimas virtutes suas in eum transtulerit abactis vitiis, et in optimum civem converterit pestem civitatis. Nimirum uti ruta alioquin amara juxta ficum posita, dulcior fit et mitior (testa

Pierio, liber LIII. hieroglyph.) ita etiam is qui amaris est moribus mitescit in societate bonorum.

Et unde putamus latronem dextrum didicisse in cruce patientiam, qua fatetur se juste pati et digna factis suis recipere: charitatem qua erudit et convertere conatur socium malum, nisi quia videt utramque virtutem adeo emicuisse in Christo? Patientiam, dum innocens ut agnus obmutuit in tantis pœnis: charitatem, dum pro crucifixoribus suis oravit. Ruta igitur juxta ficum erat latro juxta Christum. Primus in Japone Christianus ea occasione factus est, quod ob homicidium justitiam fugiens in B. Xaverium incidit; cujus exemplari vita ad frugem revocatus, conversioni suæ nationis initium dedit. Inspice igitur et tu virtutum studiose ss. exempla tam ea quæ in libris expressa, quam ea quæ passim oculis cernis in viris religiosis. Si ebrietati addictus es, vide quam hanc alii fugiant ut pestem et tota vita caveant: si mancipatus avaritiæ, aspice liberales: si incontinentiæ stimulis urgeris, inspice continentis, qui crucifixerunt carnem suam; inspice religiosorum cœtus carnis domitores et triumphatores. « Ibi tot pueri et puellæ (inquit S. August. l. VIII. confess. c. XI. de continentia virtute loquens quam sibi impossibilem persuadere conabatur inveterata consuetudo) ibi juvenus multa et omnis ætas et graves viduæ et virgines anus et in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis. Et irridebat me irrisione exhortatoria quasi diceret: Tu non poteris quod isti et istæ? An vero isti et istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum deditne eis? Quid in te stas et non stas? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas. » Hæc ille.

CONCIO IX.

DOCUMENTA.

- I. A Christo disce misericordiam: 1. Corde et opere miseretur. 2. Convocat discipulos. 3. Observat dies populi sequentis. 4. Benedicit cibum. — II. A discipulis liberalitatem: 1. Offerunt panes. 2. Apponunt et distribuunt. 3. Colligunt reliquias. — III. A populo patientiam et confidentiam: 1. Cum Christo perseverat. 2. Jussus discumbit. 3. Expectat refectionem. 4. Contentus est refectiuncula. — IV. Una eucharistiæ specie contenti simus. Causæ.

THEMA.

Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant. Marci VIII.

Pythagoræ monitum fuit: *Minuta panis pedibus*

non calca. Quo symbolo non tam volebat, ut micæ panis corporalis sub pedibus non jacerent, quam ut doctrinæ salutare etiam minutiores non spernerentur aut negligenter, sed velut animæ cibis debita cum reverentia a nobis susciperentur. Idem, auditores, docemur in hodierno evangelio, ubi panum reliquias nequaquam neglectas legimus post exhibitum convivium, sed in septem sportas diligenter asservatas. Nobis hoc factum est, uti s. evangelii doctrinæ etiam minuscule non pedibus calcaremus, sed cum honore susciperemus. Ergo colligamus reliquias hodierni evangelii.

I. A Christo discimus misericordiam cordis et operis. Nam primo: *Misereor super turbam*, ait Græce *ex intimis visceribus misereor*; en misericordiam animi. Deinde: *Facite homines discumbere*, inquit, en misericordiam operis. Itaque corde imprimis commisereri oportet pauperibus; deinde, qui habent vires, misericordiam præstare factis debent, alioquin se ostendunt *cor habere durum quod male habebit in novissimo*, Eccl. III. Deinde, videmus in Christo esse simul misericordiam et potentiam, adeoque eum velle ac posse miseris succurrere. Multi homines vellent juvare, sed non possunt, quia ipsi miseri sunt: multi possunt, sed nolunt, quia avari sunt: Christus summe misericors vult juvare ex intimis visceribus; summe etiam potens, juvat mirabiliter. Quis ergo in illum non speret?

Secundo, convocat discipulos suos quodammodo consultit, quomodo esurienti turbæ providendum sit; ut doceret primo, principes et magistratus sollicitos esse et consultare cum suis debere, quomodo præsertim tempore famis populo de annona prospiciendum sit. Agnovere id, Valentinianus et Marcianus imp. qui ut habetur in cod. Justin. c. de sacro Eccl. dixerunt: *Humanitatis nostræ est, egenis prospicere ac dare speram, ut pauperibus necessaria non desint.* Eam ob causam quidam apud Isa. c. III. recusat esse princeps; quia: *Non sum medicus*, inquit, (ut videlicet possim mederi reipubl. calamitatibus.) *Et in domo mea non est panis* (ad pauperes alendos,) Alciatus, embl. CXLIII. Principem reipublicæ salutem studentem depingit specie anchoræ circumvoluto delphino. Hic enim cum tempestatem præsignat docet principem quando, quomodo, et ubi figere anchoram et salvare navim reipublicæ debet, tempore calamitatis publicæ. Secundo, non esse spernenda semper inferiorum et rudiorum consilia; quemadmodum et Moyses bonum et sanum consilium accepit a Jethro, homine gentilli et alienigena, Exod. XVIII. *Sæpe etenim est olitor verba oportuna locutus.* Plato cuidam sibi objiciendi: *Tunc es doctor simul et discipulus?* Quamdiu discis? respondit: *Tandem,*

donec se sapienter fieri non pœnitebit, Plut. in Plat.

Tertio, observat dies, quibus audiebatur et sustinebatur a populo; quia: *Ecce jam triduo sustinent me*, inquit. Imo et gressus: *Quidam enim de eis*, subdit, *de longe venerunt*, ideoque sollicitus est, ne jejuni revertentes deficiant in via. Itaque bono animo estote, quicumque Dei verbum patienter et crebro auditis, qui cum Christo adversa multa, famem, desolationem, morbos, etc. sustinetis, quia ipse numerat dies, quibus ea toleratis: numerat gressus, juxta id Job. XIV. *Tu quidem gressus meos dinumerasti.* Respicit lacrymas, quas in miseris vestris effunditis, juxta id Ps. LV. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua*, Hebr. *nonne in libro tuo?* Denique liberaliter remunerat præstitum sibi obsequium, ut in hodierno evangelio. Non ita mundus, cui servitur. Similis est ille idolo Baal, quod clamantibus ad se servis suis, licet ii cultris se cruentarent, ne verbum quidem respondit, III. Reg. XVIII. Vel enim non respondet precibus tuis; vel si respondet, nihil aliud ait, quam quod illi Judæ desperanti: *Quid ad nos? Tu videris.* Quam ergo bonum est servire Deo et cum ipso aliquid sustinere! Tametsi enim differt mercedem suam, tarditatem benignitate compensat. Deinde, discimus remunerari obsequia nobis præstita, et imprimis operarios non fraudare mercede sua, nec differre diu a solutione.

Quarto, benedicit cibum apponendum gratis, eaque benedictione multiplicat panem et saturat omnes. Ita etiam potest Deus modica nostra, benedictione sua multiplicare; ubi enim est benedictio Dei, ibi modicum etiam sufficit et saturare potest; quia: *Benedictio Domini divites facit*, ait Sap. Prov. X. Contra, ubi deest Dei benedictio, etiam abundantia fit inopia. Itaque de manu Dei accipienda sunt bona nostra, non de iniquo mammona; ait enim Sap. Prov. XI. *Alii dividunt propria et ditiores fiunt: alii rapiunt non sua et semper in egestate sunt.* Narrat Leon-tius, in vita S. Joannis eleemosynarii de mercatore quodam opulento, fruges et merces ejus naufragio periisse. Quod, infortunium cum lamentabundus narraret S. Joan. audivit ab eo: *Scias hoc tibi nulla alia de causa accidisse, nisi quod hæc navis non juste, non honeste a te esset acquisita.* Jussit ergo ei dare unam ex navibus Ecclesiæ, onustam viginti millibus modiorum frumenti: cum qua felicissime navigans mercator, appulit in Britanniam fame tunc laborantem, ubi moderato pretio vendens frumentum, Britan-norum indigentia dum consulit, ipse ditatus est. Itaque ubi justa sunt lucra, Dei benedictio adest; ubi injusta, maledictio.

II. A discipulis discimus liberalitatem. Nam primo, licet in tanta inopia rerum necessariarum locoque deserto non plus haberent quam septem panes et paucos pisces, eos tamen postulati statim et sincere promunt pro communi usu, nihil sibi reservant: memores forte doctrinæ J. Tobiae, c. IV. dicentis: *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Ideo pro septem panibus tollunt septem corbes plenos; quia: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, II. Cor. IX. septem panes semen fuerunt, septem corbes messis. Adeo fecundus ager sunt manus Domini et sinus pauperum. Viderint vero hinc monopolæ, qui famis tempore annonam augent, nec frugibus a se coemptis esurientibus succurrere volunt. Certe eos graviter insectatur S. Amb. l. III. offic. c. VI. « Cur, ait, ad fraudem convertis naturæ indulgentiam quæ copiosas dat fruges? Cur invides usibus hominum publicos partus? Cur populis minus abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis a pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant beneficia fecunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potius nihil nasci, quam te fame publica negotiari: » et mox: « Latrocinium hoc an fœnus appellem? Captantur tamquam latrocinii tempora, quibus in viscera hominum durus insiciator obrepas. Lucrum tuum, damnum publicum est. Joseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit. Recte Salomon (Prov. XI.) Qui continet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus, non hæredibus: quoniam avaritiæ emolumentum ad successorum jura non pervenit. Quod non legitime acquiritur, quasi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus dissipatur. Dicunt isti, ut testatur Amos, c. VIII. Quando transibit mensis et venundabimus merces: et sabbatum, et aperiemus frumentum, ut imminuamus mensuram et augeamus sicutum.

Secundo, apponunt et distribuunt panes ac pisces, magna utique sollicitudine et labore, nunc ad hoc nunc ad aliud contubernium discurrunt, quo nimirum omnes habeant quod manducant, nemo egeat. Neque dubium, propriæ famis oblitos alienam tantum curasse. Sic nimirum tempore famis boni Christiani velut Christi discipuli solliciti sunt de pauperibus. Sic extincto Saule et Jonatha, dicebat David: *Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam propter Jonatham?* II. Reg. XIX. Eodem modo nunc interrogent ditiores, quinam sint ex hac urbe egentes, ut faciant cum illis misericordiam. Ac secuti apos-